

EXERCITATIO XIII.

In simplice cogitatione sive conceptu non est error seu falsitas.

1. **E**rratur cùm quid affirmatur quod esset negandum, aut negatur quod esset affirmandum, adeo ut omnis error iudicium, hoc est, affirmationem & negationem præsupponat. Atqui conceptus sive simplex rei apprehensio non præsupponit atque includit, sed omnino antecedit iudicium. Ergo in simplice idea seu conceptu non consistit error.

2. Simplicis cogitationis sive conceptus totum esse in imitatione consistit (est enim imago, imago verò imitatione efficitur) Atqui error in imitatione non committitur, nisi intercurrente iudicio (ut si præclarum quid iudices atque ideo imiteris quod tale non est, ut sit imitandum). Cùm igitur ad simplicem alicujus rei perceptionem constituendam non pertineat iudicium, recta erit perceptio, non erronea.

3. Conceptus apud omnes eosdem esse communiter statuunt Philosophi (& rectè statuunt, quatenus v. g. Gallus & Germanus

manus